

culatim à priori deducere, aut à posteriori solùm ipsarum operationum veritatem experimentis evidentibus, non suppositionibus controversis & crassis principii, quas vocant Logici, petitionibus demonstrare teneantur.

VI. Quorum equidem ab ipsis præstandorum quàm nulla ulli-
cunde spes alluceat, ut porrò doceamus; age duo adhuc in Synopsi
quadam animis à partium studio saltem aliquatenus liberatis ex-
pendenda proponemus; suppositionum scil. & regularum Astrolo-
gicarum, ad quas in præfenti negotio maximè provocant, à recta
ratione primùm, deinde ab effectibus ipsis manifestum dissensum.
Pro primo notentur sequentia :: (1) Quòd iisdem Planetis in hoc
aut illo signo existentibus, suasque adeò vires per omnes ferè ter-
rarum angulos dispergentibus, variantissimæ interim in diversis
regionibus, oppositæque sæpe in confinibus ejusdem provinciæ tra-
ctibus, aëris conditiones deprehendantur; quodque (2) eodem
adspectu plurium in cœlis regnante, & super terras plerasque in-
cedente, non eadem tamen, sed contrariæ penitus ac diversissimæ,
ventorum tum cæterarum tempestatum rationes in Zona saltem
nostra temperata, obtineant, Phæn. II. III. XX. testibus: Ut hoc
minimùm ipso Sole clarius hinc elucescat, nunquam & nullibi ex-
observatis in terra eventibus, Planetarum, signorum &c. calidam
aut frigidam, humidam aut siccam naturam, aliasve qualitates &
influencias ipsis vulgò adtribui solitas, colligi vel probabiliter po-
tuisse: quòd ex adverso (3) Variantibus in cœlis indies ferè Plane-
tarum adspectibus, nunc per hæc, nunc per illa signa decursibus,
& mutata in singula temporis minuta cœli per domos distributi fa-
cie, in plerisque omnibus tamen Zonæ torridæ partibus, eadem &
constans per pluscululos, non dies tantùm, sed menses, regnet alibi
serenitatis, alibi pluviarum &c. conditio, iidem spirant venti & in-
variabiles &c. prout ex X. XI. XII. XIII. abundè constat: quòd
(4) similiter vi IX. Phæn. quadam regiones omnibus destituantur
toto anno pluviis, frustraneis adeò tot portarum apertionibus, quæ
interea in cœlis contingunt; quòd (5) recepta hîc adversus hæc,
nominatim adversus primum & secundum, exceptio, (Planeta-
rum & Adspectuum vires ubique eosdem, pro locorum diversa
conditione & receptivitate diversos & contrarios sæpe effectûs pro-
ducere) satis evincat, veras, proximas, & genuinas particularium
effectuum causas ab ipsis illis particularibus potius cujusque regio-
nis.